



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini Carmina Selecta

Santeul, Jean de

[S.l.], 1679

Ad Illustrissim. Virum D. P. Belevraeum Pro Defensione Fabularum Elegia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13401**



AD ILLUSTRISSIM. VIRUM D.  
P. BELEVRÆUM  
PRO DEFENSIONE  
FABULARUM  
*ELEGIA.*



REGO sacra novæ mutabunt carmina leges;

Et suus Antiquis præripietur honos?

Tot Vatum monumenta, tot & decora  
alta peribunt?

Musarum tot opes auferet una dies?

Ah! tantum prohibe facinus, Pater optime Vatum,

Non aliâ fueris tu mihi lege Deus.

Vos tantum prohibete nefas, prohibete Camœnæ,

Non aliâ dicam vos ratione Deas.



Ecquis erit vestros posthac qui curet honores,  
 Irrita si nullam Numina fertis opem?  
 Non ita: tot veterum præclara inventa manebunt,  
 Et quod sacrauit Fabula prisca, melos.  
 Numen habent Musæ, vos fontes numen habetis;  
 Sunt etiam & sylvis, arboribusque Deæ.  
 Et nemora, & montes, vallésque, & inhospita saxa,  
 Ipsaque cum rivis flumina Numen habent.  
 Nuper multa gemens in litore flebat Amyntas,  
 Et fato raptum sæpe vocabat Hylam.  
 Flebant & rupes, fontésque & litora flebant;  
 Flere etiam visa est conscia Nympha loci,  
 Et montes doluisse, annosaque robora circum  
 Corticibus ruptis ingemuisse ferunt.  
 Quid non Pierides, quid non finxere Poëtæ!  
 Vidimus argutâ mcenia structa lyrâ.  
 Vidimus auritas motare cacumina Quercus,  
 Et cursus Amnes sustinuisse suos.  
 Dant Vates vultus varios, variósque colores,  
 Equæ solo ducunt quæ super astra ferant.  
 Surda vocant, immota movent, mentē omnibus addūt;  
 Artis opus summum, mille placere modis.  
 Obscuris vera involvunt, celântque docendo,  
 Sublustrî & nebulâ splendidiora tegunt.



Sol veluti nimio jubaris fulgore coruscans;  
 Nubibus obvolvi, quâ videatur, amat.  
 Maxima sunt, plerumque tegit quæ Fabula, & istis  
 E tenebris fulget pulcriùs orta dies.  
 Lector amat veros dubia sub imagine sensus,  
 Quæsitafque diu cernere gaudet opes.  
 Quin etiam humanis divina affingimus ora,  
 Et sunt, quæ proprio nomine sponde carent.  
 Ignem Mulciberum, Cererem frumenta vocabo,  
 Et pluvium, in terras dum cadit unda, Jovem.  
 Si Venetas describam arces, molimine magno  
 Non homines dicam, sed pefuisse Deos.  
 Illic Adriacis surgat Neptunus ab undis,  
 Et magnæ admirans hæreat Urbis opus.  
 Quod si bella canam, Jani Mars limina vellat,  
 Et bellatores ducat in arma Deos.  
 Mulciber Ætnæis recoquat fornacibus arma  
 Thracibus, aut rigidis arma tremenda Getis.  
 Tum scelerum inventrix lacerâ Discordia pallâ  
 Advocet infernas ex Acheronte Deas.  
 Mox Amnes trepidare, imis pallêre sub antris,  
 Dum Bellona furens impia bella movet.  
 Si decora hæc tollas, sine vi, sine pondere Carmen  
 Lectori fesso tædia mille feret.



Quid memorem Flores? si numina Floribus absunt,  
 Cur pallent Violæ, cur Hyacinthe rubes?  
 Cur sibi cognatos Anemone deperit Euros?  
 Unde color Calthis, & color unde Rosis?  
 Non his terra putris det Floribus, unde rubescant,  
 Sed Pueri, aut Veneris sanguine tingat Amor.  
 Vos sine Pomona nusquam florebitis horti,  
 Et mœsti, nisi Pan pascat, abîte greges.  
 Sunt hæc magna quidem veterum mysteria Vatum,  
 Temporibus seris quæ violare nefas.  
 Ergo tui, BELEVRÆE, canam si gaudia Ruris,  
 Alloquar & Nymphas, sylvicolâsque Deos:  
 Et Charites aderunt, zonis de more solutis,  
 Alterno terram concutientque pede.  
 Illuc Pastores, illuc mihi Rustica turba,  
 Et pariter veniant Dîque Deæque loci.  
 Fauni cum Satyris, clavam, thyrsûmque relinquunt,  
 Tympana cum fistris æraque pulsa sonent:  
 Pampineâ incomptos redimiti fronde capillos,  
 Lascivis celebrent orgia læta modis.  
 Jam madidi vino media inter pocula, libent,  
 Et tibi magna Pales, & tibi Bacche pater.  
 Mænades hic ululent sparsis sine lege capillis,  
 Et fuget attonitos turba proterva viros.



Tum Lector gaudebit, amat nam mille figuras,

Se quoque festivis credet adesse choris:

Quin etiam arridens, jam tum mihi plaudit Apollo,

Plaudit Apollinei docta caterva chori:

Et Nymphæ properant alacres ambire Poëtam,

Et viridi lauro tempora nostra tegunt.

Ruris & ipse mihi Dominus quoque plaudit amico

Numine, & inceptis annuit usque meis.

Exulet ergo procul sacris gens invida Musis,

Et placuisse tibi sit, BELEVRÆE, fatis.



